

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiæ Lipsiensis, Festvm Nativitatis Christi In Templo Academico, Die XXV. Decembr. Anno MDCCXVIII. Pie Solenniter Qve, Consveto Tempore ...

Schede, Andreas Martin

Lipsiæ, [1718?]

VD18 90816706

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-200431](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-200431)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

9¹/₁₀

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS,
FESTVM
NATIVITATIS
CHRISTI

IN
TEMPLO ACADEMICO,
DIE XXV. DECEMBR. ANNO MDCCXVIII.

PIE SOLENNITER QVE,
CONSVETO TEMPORE
CELEBRANDVM
INDICIT.

24.36



Des. D. K. Schenk



Ullum majus, sublimius atque sanctius in christiana doctrina, & ecclesia mysterium est, quam Filii DEI, Salvatoris nostri ἐσαρκωσις seu *incarnatio*. Ita enim Paulus gentium Apostolus eam vocat atque describit: *ὁμο-λογημένως μέγα ἐστὶ τῆς εὐσεβείας μυστήριον.* Quæ causa? *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί;* vel ut Johannes Evangelista brevius id exprimit: **VERBUM CARO FACTUM EST.** Venerandum igitur augustissimumque hoc mysterium ex allatis verbis, paucis dilucidasse, tempori huic festivo conveniens erit. Etenim si fideles Vet. Testamenti Patriarchæ, Principes pii, Reges & Prophetæ in votis assidue habuere; ut illa tandem illucesceret dies, qua exoriretur Sol-Justitiæ, qua rorarent cœli superne & defluant Justitiâ; aperiat se terra, & terrestria edant fructum salutis, justitiaque efflorescat simul, Jehova patrans illud; Quanto magis Christiani hoc salutari voto jam potiti lætentur, atque cum choris angelicis jubilent? Promissus enim mundo Messias Dominus, Filius ille Davidis in plenitudine temporis natus est, nobisque ut salutem repararet, datus est *Immanuel*, Filius DEI altissimi, *Θεοῦ ἄνθρωπος*: qui est ἀπαύγασμα τῆς δόξης ἢ χαράς τῆς ὑποστάσεως DEI Patris, qui cum Patre & Spiritu Sancto universam rerum naturam condidit, sustentat & gubernat. Hic, inquam, ex inaccessa, quam habitat luce, prodiit e substantia castissimæ & sanctissimæ Virginis Mariæ, veram & integram humanæ naturæ essentiam assumpsit: descendit de cœlo, atque ex gratiosissima Patris voluntate manifestatus est in carne. Nam **VERBUM**

VERBUM CARO FACTUM EST ! O mirandum pietatis
mysterium, quod omnem rationis humanæ captum longe
exsuperat.

Singula proinde verba Evangelistæ, quæ pauca, sed
mysterii plenissima sunt, dilucidari merentur: ὁ λόγος, Fi-
lius DEI ex æterna Patris essentia ante secula natus, homo
factus est. Nomen hoc λόγος, in divinis literis quoad sen-
sum, Genes. I, 6. 9. 11. 14. 20. 24. per τὸ ῥῆμα innuitur, Filium
DEI, qui cum Patre, & Spiritu S. mundum creavit, denotat,
quemadmodum Psalmo XXXIII, 6. Chaldæus interpres per
τὸ ῥῆμα eundem exprimit, confer Es. XLV, 12. it. XLVIII,
13. Præcipue tamen S. Johannes id usurpavit de Filio DEI
æterno c. I. Et Petrus etiam 2. Epist. III, 5. ubi & prædicata
a Johanne de λόγῳ usurpata non possunt de λόγῳ προφορι-
κῶ intelligi, sed τὸν λόγον ὑποστατικόν, Filium DEI unigeni-
tum, Salvatorem mundi denotant, quem Græci Patres (a)
λόγον ἐνυσσιν adpellarunt. Quapropter Johannes, quando
in fronte capitis hujus primi orditur suum Evangelium,
ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, æternam ejus cum Patre existentiam
atque opera non nisi vero DEO competentia illi tribuit
atque prædicat. Drusus in annotationibus in h. l. refert, phi-
losophum Platicum, Amelium lecto initio Evangelii Jo-
hannis questum fuisse; quod Evangelista in suum librum
transtulerit magistri sui Platonis mysteria: per Jovem di-
xisse eum, barbarus iste cum nostro Platone sensit, VERBUM
(τὸν λόγον) DEI in ordine principii constitutum. Verum
Amelius ipse barbarus & profanus homo ignoravit, Plato-
nem multa ex Mose hausisse, parumque recte intellexisse,
quid sit iste λόγος. Johannes vero ex Θεογενεσί Filium
DEI, λόγον Θεῶν qui cum Patre & Spiritu S. mundum condidit,
appellat, ut etiam videre est 1. Epist. II, 7. Apocal. XIX, 13.

De interpretatione autem hujus nominis latina, inter
eruditos disceptatur; an ὁ λόγος per VERBUM, an per SER-
MONEM cum Beza, Piscatore, & quibusdam latinis Patri-
) (2 bus

(a) vid. Athanas. Definit. tom. 2. p. 53.

bus reddendum sit? Nos cum Erasmo, Luthero & antiquis Ecclesiæ doctoribus, merito per VERBUM (das Wort) interpretandum esse censemus; cum in ecclesia Occidentis tot sæculis hæc interpretatio etiam recepta sit. Nam VERBUM simplex quippiam est; *Sermo* autem aliquid compositum significat, quod ὁ λόγος *Filio DEI* parum convenire videtur; quippe qui in sacris literis dicitur imago DEI Patris, splendor gloriæ & character substantiæ ejus; item, quod, qui τὸν λόγον videt, Patrem videat. Hoc sane VERBO isti substantiali magis quadrat, quam *Sermoni* aut orationi; ac proinde VERBI notio aptior omnino videtur esse ad personam & unum ὁφεισάμενον designandum, quam *sermo*, qui corruptelæ hæreticorum obnoxius est. Græci etiam Patres Basilii M. Theodoretus, Gregorius Nyssenus, & Nazianzenus τὸν λόγον per VERBUM exposuerunt. Nazianzenus (b) præterea etiam rationes adfert, ob quas Filius DEI, ὁ λόγος appelletur, quæ apud ipsum legi merentur. Dionysius & Basilii quoque eam ob causam CHRISTUM τὸν λόγον dici Verbum ajunt; quia Patris imago sit, Eumque totum in se repræsentet. confer *Theophylactum*, (c) & *Isidorum Pelusiotam*, (d) qui περὶ τοῦ λόγου expositione, plura disserunt, quæ heic recensere prolixum foret.

Viso ergo τῆς ἐνσαρκώσεως SUBJECTO, quod est ὁ λόγος, prædicatum (σάξ ἐγένετο) considerandum venit: hoc est CARO factum est. Sed quomodo? Breviter dicam, Filius DEI humanam naturam ἀνθρώπου in suam divinam ὑπόστασιν seu subsistentiam assumpsit, ut una sit persona, DEUS nimirum homo factus, qui θεάνθρωπος græce vocatur. CARO enim heic non sensu Sociniano, statum tantum continentibilem, sed veram humanam naturam corpore & anima rationali constantem notat, quam assumpsit, quod Paulus *Gal. IV, 4. Ebr. II, 14.* confirmat; non per transmutationem, sed assumptionem miraculosam in unionem arctissimam ac indissolubilem, personalem τοῦ λόγου. Hanc cum orthodoxis Theologis

(b) Nazianz. Orat. 36. p. 590. (c) Theophyl. in cap. 1. Joh. fol. 56.
(d) Isidor. epist. 141. Lib. 3. fol. 312.

logis, prælucente Scriptura S. describimus: *Incarnatio est actus DEI Patris ablegantis Filium suum unigenitum, ut ex communi S. Trinitatis consilio, bonoque placito & decreto, veram & perfectam naturam, animam & corpus in unitatem suæ ὑποστάσεως assumeret.* conf. Ps. XL, 8. 9. Es. IX, 6. 7. Luc. I, 31. seqq. it. II, 6. seq. Ebr. II, 14. Hæc unio duarum naturarum, a græcis Patribus dicitur ἀρρητος ineffabilis, quæ non nisi ductu S. Scripturæ describi debet; mente enim humana plene comprehendendi nequit. Est enim mysterium ὑπὲρ νῦν ὑπὲρ κατὰ-λαβόν. Quapropter id hæretici Sabellius, Marcion, Arius aliique plures lumine gratiæ destituti, primorum quatuor seculorum, febriculosis ratiociniis usi, impie & pertinaciter impugnarunt atque in pravos sensus detorquere laborarunt. Quos tamen orthodoxi Patres e divinis literis solide refutarunt.

Nos heic omiſſa prolixiore illorum actuum mysteriorum, qui concurrunt declaratione, potius ad rectius intelligendos & interpretandos effectus & consecraria miraculosæ incarnationis Filii DEI, paucis tantum adhuc expendemus. Scilicet Mediatorem inter DEUM & homines oportuit esse DEUM & hominem seu Θεάν-θρωπον: Hominem quidem, qui vices totius generis humani subire ac pro eo lapso, justitiæ Divinæ violatæ satisfacere debebat, sacrificio expiatorio in corpore suo publice in cruce exhibito: qui cetera similis aliis hominibus per omnia, excepto peccato, & qui idem comitatur effectus, fuit. Id vero præ omnibus habuit eximium, quod tanquam homo, nunquam peculiari subsistentia ab ὑποστάσει τῆς λόγης distincta extitit, sed semper unam eandemque personam cum secunda persona S. S. Trinitatis constituit. Non enim prodesset Filius DEI hominibus, si tantum DEUS esset; non sufficeret sustinendo Mediatoris officio, si tantum homo esset. Huic autem fini mediatorio non sufficit vocabulorum (ut hæretici inprimis Nestoriani & Eutychiani contendebant) quædam permutatio & reciprocatio; sed illæ reciprocae enunciationes ex hypostatica unione fluentes, (*DEUS est homo, & homo est DEUS*) nisi in re ipsa fundantur, ac quod re ipsa in Salvatoris persona ex-

fona existit, exprimunt. In hoc enim ἀρρητον incarnationis, & personalis unionis duarum naturarum mysterium latet. Quod veteres & recentiores Theologi vere orthodoxi, tum contra hæreticos Θεομάχας, Cerinthianos, Sabelianos, Arianos, Photinianos, tum Nestorianos ac Eutychianos præcipue, constanter edocuerunt, personalem unionem defendentes. Eutyches enim vix dum seculo quinto, certamine Nestoriano quodammodo sopito, studio ἀνθολης, in contrarium errorem lapsus, imprudenter impugnare ausus est, duarumque naturarum in CHRISTO confusionem & abolitionem humanæ naturæ statuit. Negavit enim Filium DEI ex substantia S. Mariæ virginis veram humanam naturam assumpsisse; sed eam secum de cælo detulisse, quæ nostræ humanæ naturæ non sit ὁμοσiosis. De qua hæresi, Leo, Episcopus Romanus *epistola* 7. ad Theodosium Augustum Imperat. & ad Pulcheriam Augustam *epist.* 6. & 7. item *Flavianus*, Episcopus Constantinopolitanus *epist. ad Leonem*, itemque *Theodoretus* in Dialogo 2. 3. in quibus Eranisten, Eutychen defendentem introducit, plura perhibent. Quibus Vigilii Afri libri quinque, quæ mysterium incarnationis ex verbis Evangelistæ S. Johannis allegatis, contra Nestorianos & Eutychianos defendit, jungi merentur.

Reliquum ergo est, ut paucis causâs enumeremus, ob quas necesse est, non tantum fide hoc mysterium ἀρρητον tenere, sed etiam doctrinam de ejusdem veritate, fideliter custodire. Quod vera humana natura in personæ divinæ hypostasim non tantum assumpta, sed in omnem etiam æternitatem duratura sit: *Prima* & præcipua causâ est certitudo salutis per Christum Θεάνθρωπον partæ. Verissimum enim est Basilii, Nazianzeni & Damasceni axioma: τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπειλον, quæ natura a Filio DEI non est in unitatem personæ assumpta, eandem nec sanguine suo a peccatis emundavit, nec passione sua, DEO Patri reconciliavit, nec morte redemit, nec liberavit a peccato & tyrannide diaboli, ab inferno & æterna condemnatione; nec beneficia Ejus nativitate, passione, morte, totiusque vitæ ejus obedientia parta, ad nos miseros mortales pertinerent.

nerent. Ad hanc accedit *altera* causa, veritas promissionum divinarum Patribus in Vet. Testamento factarum, quæ omnes vanæ & falsæ deprehenderentur; si naturam nostram humanam CHRISTUS non assumsisset veram. Non enim caro nobis de cœlo promissa, sed *semen mulieris*, quod contritum caput serpentis, hoc est, diaboli; non Abrahæ promissio facta de specie & similitudine quadam carnis, (ut Eutyches deliravit) sed de semine, in quo omnes gentes benedicendæ; non Davidi filius promissus e cœlo expectandus; sed semen quod ex utero e lumbis ejus propagandum; Virga quæ de radice Jesse exoritura, Filius qui e Virgine nascendus; justus servus, qui cognitione sua servaturus multos. Hunc, inquam, Filium, nobis ὁμοῖον ex posteritate Davidis vere nobis exhibitum, & in eo promissiones Patribus olim factas, impletasque esse, Petrus concione sua prima *Act. II, 14.* seqq. probat. His conjuncta *tertia* causa, spes resurrectionis & futuræ gloriæ in cœlestibus. Etenim nisi servata naturæ humanæ essentia & veritate, CHRISTUS resurrexit; nec nos etiam eadem nostra carne resurgemus; cum hæc non nisi ab illa causam & certitudinem suam habeat. CHRISTUS autem eandem integram nobisque ὁμοῖον cœlo intulit, aditum quoque patefecit naturæ nostræ, ut illa particeps futuræ illius gloriæ, quæ promissa est fidelibus expectantibus & expectantibus gloriosum illum adventum Domini nostri Immanuelis.

Unde oppido patet atque manifestum est, non levem errorem fuisse tum veterum Nestorianorum tum Eutychianorum, ut & quorundam recentiorum doctorum, qui deliramenta illa veterum hæreticorum resuscitare ausi sunt. Nos vero rejectis eorum impiis erroribus, Immanuelem nostrum fide amplectimur, qui propter nos homines nostramque salutem homo factus est, ut in assumpta humana natura, genus humanum DEO reconciliaret, & in genere humano sibi colligeret Ecclesiam fidelium, quæ ipsum agnosceret verum Θεῶν γενητόν, unicumque Mediatorem ac Salvatorem invocaret, æternumque celebraret. Quod pietatis officium nobis hoc tempore maxime incumbit omnibus,
ut evi-

ut evitatis carnis operibus, nostro IMMANUELI grati
semper h.e. sobrie, & iuste ac pie vivamus. De hoc maxime
pietatis mysterio & miraculo omnem mentis humanæ ca-
ptum longe exsuperante, eximius *Vir Juvenis M. Otto*
Wilhelmus Schonheim, Hartensteinensis Misen.
Alumnus Electoralis & Theologiae Cultor lau-
dabilis, cras DEO juvante, auditoribus suis futuris bene-
volis, hora XII. consveta in Templo Academico, erudita
oratione, pie meditandi ac ineffabilem DEI erga genus hu-
manum gratiam manifestatam, devote nobiscum prædi-
candi, ulteriorem suppeditabit materiam. Quapropter
VOS, ILLVSTRISSIMI COMITES,
DOMINI RVTHENI, STUDIO-
RVM GRATIA IN NOSTRA ACA-
DEMIA JAM COMMORANTES,
VOSQVE VTRIVSQUE REIPVBL.
PROCERES, ET CIVES NOSTRÆ
ACADEMIÆ, CVM NOBILISSIMA
STVDIOSA JUVENTVTE HO-
NORATISSIMI, qua decet humanitate, ad lauda-
tam orationem benevole auscultandam invitamus & ro-
gamus, P. P. Lipsiæ d. XXIV. Sept. A. reparatæ
salutis MDCCXVIII.

LIPSIAE,
LITTERIS SCHEDIANIS.

61 C 2

10-18

